

Ecclesiam Catholicam semper integram, atque intemeratam permanere, & castitatem ejus nullo motu ab hæreticis posse corrumpi; minime omnium tamen errorem commisisse Eusebium arbitror, qui totum Egesippi opus inspexit, adeoque multo rectius, quæ sit verborum ejus sententia, potuit judicare, quam nos, qui nihil, præter fragmenta quædam ejus, habemus. Deinceps si de Hierosolymitana solum Ecclesia locutus est Egesippus, cur *illibatam* hujus virginitatem Apostolorum custodia, *vitiatam*, eorum coetui extincto adscripsit, quum constet plerosque omnes ingentibus locorum intervallis Hierosolymis abfuisse, adeoque virginem illam corrupturos hæreticos arcere non potuisse? Quin potius ex eo, quod intemeratam Ecclesiæ virginitatem a totius Apostolorum collegii cura, custodiaque deducit, inferimus, eum non modo de Hierosolymitana, sed tota Christiana Ecclesia locutum fuisse, quippe cujus universæ curam gessisse sanctos Dei viros certissimum est. Etsi ergo *Electorum* coetus seduci non potest, sed integer semper, ac purus manet *Matth. XXIV, 24. Vocatorum* tamen coetum deficere a splendore interno, qua doctrinam, posse, & actu ipso defecisse, Egesippi, Eusebiique auctoritate ostendimus. Et vero annon maxima pars Ecclesiæ Christi in Arianismum incidit? *In-gemuit totus Orbis*, ut Hieronymus loquitur, in dial. c. Luciferianos, & se Arianum esse miratus est. Phrygiam Montanistæ, Donati pestis maximam Africae partem occupavit. In libello quem Imperatori contra Cæcilianum obtulerunt, se *Catholicos*, & partem majorem appellarunt. Orientis provincias magna hæreticorum agmina invaserunt, a quibus nec dum easdem purgatas esse constat. In Britannia, Pelagii hæresis: in Hispania, Græciaque, Arii perfidia multis annis regnavit. Quibus omnibus interiorem Ecclesiæ Splendorem,

rem,